



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De fide instrumentorum. Consilium CXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

fecisse in Ecclesia collegiata Sanctorum Apostolorum Colonie: ¶ nam cum verum sit cum continuo triennio in Univerſitate Colonienſi ſtudiſſe, intra cujus Univerſitatis limites concluditur dicta Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum, nihil obſeſſe poteſt illa reſidentia, quæ ſtudio non contrariatur, ſed compatibilitatem cum ſtudio admittit; cum generaliter omnis beneficiatus, quamvis in Univerſitate reſidens non excuſetur ab horarum lectione, arg. eorum quæ radunt, Innoc. & Panor. in c. 1. de celebr. miſſar. quemadmodum quis eodem loco poteſt eſſe ſtudens & municeps: uti el. ganter deducit Bartholomæus Bologninus, in Auth. Habita C. Ne ſit pro parte n. 14. * Neque repugnat, quod plerique horis doceatur; & lectiones audiri non poſſint, quibus reſidentia præſentiam reſidentis requirit: nam in primis ſtudium tam continuum eſſe non debet, quin aliquot horis intermittere poſſit, cum ſatis ſit laudabiliter ſtudiſſe, & pro magna temporis parte ſtudijs operam impendit. Deinde tam arcta non eſt reſidentia neceſſitas, quin ſi ſtudium hoc poſtulet, aliquid de illa remitti poſſit; præſertim quando locus reſidentia & ſtudijs unus idemque eſt, ut eleganter deducit Petrus Rebutius, ad concordat. §. 1. in fine. Meliore itaque iudicio ſalvo nos inſcripti V. I. Doctores exſtimamus Venerabiles Dominos Decanum & Capitulum prætaxatæ Eccleſiæ rem ſe dignam facturos, ſi hæc probatione contenti Domini Wilhelmi petitioni, ſtatuti ipſorum per omnia conformi, lubentes annuent.

De fide instrumentorum.

SUMMARIVM.

Conſultationes juris an ſint parti edendæ.

1. Decreta & ſcriptura in libris lingua uſitata conſpicienda.
2. Conſilia & allegationes iuris an parti edi debeant?
3. Iudex an ultro poſſit conſultationes iuris communicare parti.
4. Actum ius in cauſa poſitum eſt.
5. Ius certum & finitum eſt.
6. Articulus qui in iure conſiſtit reſpondendum non eſt.
7. Motivum iuris quid.
8. Iudiciorum præparatoria cuiusque loci attendenda.
9. Actor an rem ſit qui rationes reddat.

CONSILIVM CXXVI.

QUOD incidenter pro parte Ioachimi Studlin & Raphaelis Lauey, adverſus Hieronymum Revelaſco proponitur & ſuſtinetur, communicandum & edendum eſſe ipſis conſilium iuris in hac cauſa per dictum Hieronymum exhibitum, quodque idem Hieronymus in hac lite partes Actoris ſuſtineat, parum probabilitatis habet. ¶ Et principiò quidem poterit huiusmodi petitio averti & rejici ex ſolo capite, quod facta ſit lingua Italica, cujus uſus in tribunali Reverendi Domini Iudicis ordinarius non eſt; & in iudicijs hiſce Eccleſiaſticis non tantum decreta, ſed etiam ſcripturæ & petitiones faciendæ ac proponendæ ſint lingua Latina

& uſitata, non extranea, inſolita, minimèque conſuetà, Bart. in l. decreta. De re iud. Sed etſi ſolita & conſuetà lingua propoſita eſſet huiusmodi petitio, nihilominus admittenda eſſet: nam per tunc editionis conſilij ſeu allegationum iuris fundamento juris deſtituitur. ¶ Quamvis enim Petrus de Ferrarijs, in præctica ſua ſub tit. De for. peten. & cum ſecuti laſon, in l. 1. §. edenda nu. 6. de eden. & in l. 2. nu. 6. c. Eod. tit. & Ioannes de Amicis, conſil. 103. exiſtiment, allegationes juris parti petenti edendas eſſe, ne per eas contingat iudicem circumveniri vel decipi; ab ea tamen opinione recedunt ſerò omnes, qui hunc articulum tractant, videlicet Lud. Romanus, in d. §. edenda & ſing. 266. Fuit interrogatus, Alexander, in Auth. lubemus C. De iud. nu. 5. Franciſcus Purpuratus, in d. l. 2. n. 94. C. de eden. Philippus Decius in d. l. 2. & in cap. 1. de probat. aliique tam Canoniſta in cap. per tuas de reſcrib. quam Legiſta, in l. 2. C. de eden. & in d. §. edenda; item Marthæus de Afflicis, ad conſil. Neap. lib. 1. Rubrica 27. nu. 19. & Guido Papæ, de iſ. 241. qui de ſilo ita ſervari dicit, de iſ. 242. & novillimè Petrus Duennas, in tract. reg. §. num. 6. Paris de Puteo, in tract. De ſyndic. in diſtione allegationis nu. 7. & Robertus Maranta, de ord. iudic. parte 6. De edit. act. verſ. decimus actus nu. 50. idque ex ſententia Innocentij, in d. c. per tuas, ubi etiam Felin. nu. 3. qui tradit iudicem non compelli ad dandum parti adverſæ copiam eorum, quæ ei ad inſtructionem & ſuggeſtionem juris exhibentur. * Et licet idem Innoc. exiſtimet iudicem non peccare, ſi ultro vel rogatus edat parti petenti huiusmodi juris allegationes, reprehenditur tamen id paſſim ab alijs in d. c. per tuas, qui dicunt iudicem id faciendo peccare, præſertim quando pars illas non præſentavit in proceſſu in modum actorum; eoque nomine appellari poſſe, quia conſuetudo cauſarum ſeu curiarum repugnet. Et ſanè habet ea ſententia evidentem juris rationem: ¶ cum enim huiusmodi allegationes facti non ſint, ſed juris, & circa factum allegatum verſentur, & ius in cauſa poſitum ſit l. 1. ex plagis §. in diſpo ad l. Aquil. ſeu (ut ait Baldus, in d. §. in diſpo, ius ſit implicitum facto, certæ quoque cenſeri debent huiusmodi juris allegationes; * quia ius certum & finitum eſt l. in omni parte de iuris & fact. igno. ultroque ſe ingent ſine partium allegatione. * Inde etiam ſit, ut articulo ſeu poſitioni iuris allegationem contententi pars reſpondere non cogatur. Bart. in l. Ornamentorum in princ. de auro & argen. leg. Bald. in l. 2. §. quod obſervari de iure iurando propter calum. dando: & quantum ad ipſum iudicem neceſſariæ quoque non ſunt, quia, ut inquit Decius in d. l. 2. nu. 20. cod. de edendo, Iudex ex ſe debet eſſe inſtructus; ita ut neque reſpectu partis, neque contemplatione Iudicis, huiusmodi allegationes ſint de actis. Neque hic quicquam immutat quod earum obligationem copia parti ſit edenda tunc, cum in modum actorum in proceſſu exhibentur laſ. Duennas, & Maranta locis ſup. citatis; nam id hic non evenit.

* Etſi enim judicialiter exhibitæ ſint, ad acta aut ad inſtrudendum proceſſum non ſunt exhibitæ, ſed ad movendum animum Iudicis, ut conſtat ex tenore actorum, in quibus huiusmodi conſilium appellatur Motivum iuris; exhibitum nimium.

nimirum ad movendum animum Iudicis, & sic minime ad processum; ex mente enim & intentione proferentis & agentis verba & actus accipienda sunt, l. si quis intentione de iud. l. non omnia de rebus cred. si cert. petat. Et hæc quidem cum uniformem habeant iuris rationem perinde obtinent sive Reus sive Actor exhibeat juris allegationes seu consilium; ut supervacuum sit hic inquirere, quis Actoris partes sustineat.

Verum quia etiam contenditur de edenda copia alterius scripturæ, quam post publicam Hieronymus Revelasco exhibuit & super solutionem appellavit, quæ magis videtur de actis esse (ut sunt responsiones & exceptiones c. quoniam contra de probat.) tam improbabili esse non videtur partis adversæ obiectio, quod Revelasco partes Actoris sustineat, ideoque ex more iudiciorum ultima scriptura debeat esse Opponentium, non ipsius Revelasco, quem hujus causæ Impetrantem & Actorem vocant, à quo ob id etiam antecedentes scripturas sustinent edendas esse, cum alioqui fieri non posset, ut ultimo loco scribant Opponentibus, si quod penultimò scripsit Actor, ipsi ignorent. Ceterum nec hac ex parte satis probabilis est Opponentium petitio, propterea quod præparatoria iudiciorum ex consuetudine dependeat, & in illis cuiusque consistorij seu tribunalis obtinens consuetudo spectari & observari debeat: usque adeo ut Iason in d. §. Edenda, in præscripto articulo de edendis iurum allegationibus satis evidenter præsupponat, non esse edenda juris motiva, si consuetudo fori alicujus hoc habeat; qui idcirco istum juris articulum desinit, circumscripta, hoc est cessante consuetudine. Cum ergo posterioris partis scripturæ, ut sunt conclusiones, additiones, & similes item juris motiva, ex generali fere omnium tribunalium in his Belgicis regionibus obtinente consuetudine non soleant edi, aut earum copia parti adversæ tradij; non iuste postulat dictæ scripturæ, quam Revelasco vocat super solutionem, editio seu copia: accedit etenim huiusmodi scriptura loco consilij seu motivi juris, & ad solius Iudicis instructionem pertinet; continens demonstrationem inutilitatis vel impertinentiæ antecedentium scripturarum & probationum, non etiam novi alicujus facti allegationem; eoque respectu obtulit idem Revelasco ad tollendam omnem partis adversæ contradictionem, ut si ulla novi facti allegatio contineatur in dicta super solutionis scriptura, rejiciatur. Atque ita inutilis est in proposito disquisitio, quis in hac lite partes actoris sustineat; quamvis verius sit, Revelascum hic eas non sustinere: quia nullum ius obligationis adversus Opponentem præten dit. Neque facit in contrarium Caroli Molinæ allegata decisio, ad consue. Paris. tit. 1. §. fin. Glossa. 6. nu. 21. nam non hoc dicit indefinitè Actoris partes eum semper obtinere, qui ad rationes reddendas tenetur & requiritur, sed limitativè quantum ad probationem contentorum in rationibus; ut generaliter Reus quicumque partes actoris sustinere dicitur excipiendo, l. 1. de excep. l. In exceptionibus de probat. qui tamen verè actor non est; & sic ex comparatione & certo respectu, & non absolute, hæc accipienda sunt in constituenda conditione ac qualitate personarum,

ex quibus iudicium fundatur, l. si procuratorem d. Mandati l. Clam possidere de acquir. possess. ingressus enim & origo iudicij, ac prima præcipuaque materia inspicienda est.

De fide instrumentorum.

S V M M A R I U M.

Consultationes juris an taxari debeant.

1. 5. Consultationum iuris usus.
2. Consultationes iuris an adversario edenda.
3. Interrogatoria parti adversa non eduntur & tamen taxantur.
4. Index expensis partis consulere potest peritos.

CONSILIVM CXXVII.

INSOLITUM est, quo pro parte Mecheldis Stevens petitioni expensarum pro consilio juris obijctor; quasi scilicet consilij seu consultationis confectio & exhibitio perinde non debeat venire in condemnationem expensarum, ut alia per Advocatum confectæ, & exhibitæ scripturæ: sed ut inauditum id est, ita quoque à ratione & jure alienum. Hoc etenim manifestum est consultationum usum invaluisse loco allegationum, quibus in conspectu iudicis peracta causa Advocati utriusque partis disputare solent super his quæ in causa deducta sunt, ipsque accommodare juris rationes. Spec. in tit. de disput. & alleg. advoc. 10. De Amicis consil. 103. quin autem pro huiusmodi allegationibus patrono causæ seu Advocato salarium debeatur, dubium non est, & tanto quidem majus quanto major est illius facundia & eruditio, l. 1. §. in honorarijs de var. & extraor. cognit. Cum igitur allegationum & disputationum, quæ vivâ voce fieri solent, usus in deluetudinem abierit, vel propter Advocatorum fortè impetitiâ, vel memoriæ labilitatem, vel ad evitandum contentiosa iurgia; quæ in contentione verborum plerumque exoriri solent, l. Quisquis. c. de postulando, earumque vices præbeant consultationes scripto comprehensæ, ob conditionem Iudicium, qui sæpè juris sunt imperiti & assessoribus utuntur, meritò inter litis expensas referri debet ea impensa, quæ pro huiusmodi consilio seu consultatione Doctori aut Advocato datur. Cum enim iniqua litis propositio causam huiusmodi impensæ faciendæ præbeat, cur ad autorem seu causam præbentem non referetur? cur non perinde in numerum expensarum venire debet scriptura juris rationibus instructa; cum sine controversia in eum veniant aliæ quæcumque scripturæ nullo ingenio, nullo labore, & plerumque dictantibus tabulis aut procuratoribus scriptæ?

Nec ad rem facit, quod consultationes in iudicio sic exhibeantur, ut adversario non sit ius inspiciendi, nec ei debeat copia dari, Lud. Rom. in l. 1. §. edenda nu. 6. & singul. 266. Fuit interrogatus, Alex. in Auth. Iubemus n. 5. c. de iud. Matth. de Assili. ad consil. Neep. lib. 1. rubrica 27. nu. 29. Nam idem quoque fit in interrogatorijs, quæ ad informandum Iudicem in productione & examine testium dantur, ut scilicet earum copia parti non detur, Innoc. in c.